



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 4. De Euxini cum Aegaeo coniunctione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

Euphrada ad sex millia contrahit. Strabo denique ei quinque millia duntaxat, aut paulò plura concedit. Reliquas opiniones vide apud Plinium.

Latitudo, penes Herodotum est trium millium, & trecentorum Stadiorum: distinguit Strabo, nam à Byzantio ad ostia Borysthenis tria millia, & octingenta Stadia assignat; versus ortum, quinque millia, aut aliquid ampliùs; quâ extensione viderur complecti Maotida.

Ambitus apud Polybium est 22. millium Stadiorum, Amm. Marcel. ex Eratosthene & aliis veteribus addit mille Stadia: Strabo Eratostheni duo insuper millia: fuit ergo aut 22. aut 23. aut 25. millium Stadiorum.

Profunditas eius secundùm antiquos parua; quare *Vadosum* ab Ammiano nominatur. Aristoteles & Polybius aliquando opplen- dum credidere; quod tamen negat Strabo lib. 1. Fuisse alicubi profundissimum ad locum *Balshea* dictum ex aduerso *Coraxa* gentis asserunt Philosophus 2. Meteor. Plinius lib. 2. cap. 102.

§. 4. De Euxini cum Ægeò coniunctione.

CREDIDERE veteres quidquid inter *Byzantium*, & *Thraciam Chersonesum*, iacet solidum aliàs extitisse: ita Strato quidam. Addit Diodorus lib. 5. labem primò ad *Cyaneas* erupisse, deinde ad *Hellepontum* peruasisse. Plinius lib. 6. cap. 1. *Inuitis hoc accidisse terris indicio sunt tot angustie, & tam parua natura repugnantis inter- ualla.* Sed hoc refutat Strabo lib. 1.

§. 5. An Euxinus concrescat.

NEGAVIT omninò mare concrefcere Macrobius: hoc tamen mare rigere hyeme dixere veteres. Ouidius hâc exul, quàm sæpè hoc cecinit. Marcellinus lib. 22. huius concretionis causam refundit in dulciores aquas, quas in eo mari agnoscunt Strabo, Plinius, Arrianus, & omnes antiqui. Riguisse autem negari non potest, maximè tempore Copronymi, quando glacies ex summo mari in profundum extitit ad 30. cubitos, & cum nix superincidisset, iterum ad viginti cubitos, eo modo vt maris æquor litore penè æquaretur.